



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

Caput IV. De Ebrietatis peccato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

CAPUT IV.

De Ebrietatis peccato.

EBrietas, ex qua sæpè pullulat libido, est excessus in potu usque ad violentam usûs rationis privationem. Ebrietas ex genere suo est peccatum mortale: *Manifesta sunt opera carnis* Sc. homicidia, ebrietates, commessationes, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur, ad Gal. 5. Ebrietas enim tollit bonum rationis, & naturale, & morale, quatenus privat usu rationis.

Ebrietas dupliciter potest esse voluntaria, 1. Expressè, quando quis intendit directè ebrietatem. 2. Indirectè, quando quis expressè non vult inebriari, sed tantum bibit, quantum lubet, & potest, non sollicitus, nec curans, an sequatur ebrietas, vel non. Item si quis advertat, se inebriandum, nec tamen desistit.

1. An mala commissa in ebrietate impudentur ebrio ad culpam? V. G. Si percutiat, occidat, blasphemet?

R. Aff. Si ebrietas sit voluntaria, si mala prævideri potuerint, & debuerint, sunt voluntaria in causa.

2. An provocare socios ad æquales haustus, stante ebrietatis periculo, sit peccatum mortale?

R. Aff. Si enim inebriare seipsum est peccatum mortale, ita similiter alium ad hoc inducere. Accipe pulchram ex S. Aug. serm. 231. ebriosum hujus corrupti sæculi descriptionem:

Ma-

Majora pocula providentur, certâ bibendi lege contenditur, qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine.

3. Quando aliquis censendus est ebrius?
 R. Variant Authores. Refertur, quosdam docere, eum non esse ebrium, qui ita sibi præsens esset, ut currum advenientem niteretur evitare, etsi præ crapula non posset. Alii dicunt eum non esse ebrium, qui pedibus vacillans, oculis duplicia cernens, cui omnia gyrari videntur, imò si usque ad vomitum sese ingurgitet, si tamen sciat postridie, quid fecerit. Utraque sententia rejicitur ut exotica. Generali regula illud definire difficile quidem est, sed tamen hoc pro certo habe, quòd si quis ita præ crapula sit constitutus, ut censeatur usu rationis destitutus, etsi non pro toto, tamen censi posset ebrius. Hinc varii dantur in ebrietate gradus, prout quis magis, vel minùs usu rationis privatur. Aliud signum ebrietatis est, quando quis notabiliter impeditur à solitis muniis peragendis, quæ extra ebrietatis statum facilè potest, vel quando postridiè non meminit quid egerit, quomodo domum diverterit, vel cubitum ierit, cum tamen aliàs illorum probè meminit. Itè, si fecerit turpia, dixerit absurda, pugnârit, blasphemârit, qui aliàs solet esse castus, honestus, benignus, & pacificus.

C A S U S XIII.

Quid agendum cum eo, qui dicit: fui ebrius?

Petendum 1. An tantum semel, an sæpiùs
 & quo-

& quoties? 2. An totaliter ratio fuerit turbata, nec solita potuerit subire munia? Si ita, & voluntariè se inebriaverit, 3. An in sua ebrietate alios non scandalizaverit, & suo malo exemplo alios ad idem peccatum non incitaverit? 4. An non commiserit in ebrietate aliqua peccata, quæ antea scit, vel saltem facilè prævidere potuit, se commissurum? Quia illa, utpote voluntaria in causa, si sint damnificativa alterius, tenetur in conscientia resarcire. Pro praxi

Nota, quòd si aliquis sciat, quando est ebrius, se pronum ad juramenta, pugnas, &c. si se iterum inebriet, & illa peccata non committat, ex eo, quòd alii, apud quos est, casu abeant, vel de industria ipsum solum relinquunt, tamen illa peccata moraliter ipsi imputentur, cum sufficientem eorum causam posuerit, & non sit in ejus potestate tempore ebrietatis impedire effectus, qui ex accidenti non sequuntur.

Si pœnitens dicat, quòd non perfectè fuerit ebrius, petendum, an non exposuerit se periculo perfectæ inebriationis, & an alios simili periculo non exposuerit, vel in causa fuerit, quòd alter perfectè fuerit inebriatus, provocando, & cogendo ad æquales haustus, quibus alium videt inebriandum? Deinde dicendum, quòd non solum perfecta ebrietas, sed & alii excessus notabiles, possint esse mortaliter culpabiles, si quis ob illos officio suo (ad quod graviter tenetur) satisfacere nequeat, vel corporis sanitati notabiliter noceat &c.